

rum Conuentuum & Domorū, in quibus, ad minus sex Religiosi condecenter sub-
stantari non possent, subiiciendo Ordina-
riorum superioritati, & iurisdictioni illos
conuentus, ac Monasteria, vel Domos, in
quibus non adessent saltim 12. Religiosi
ad præscriptum Constitutionis Urbani
VIII. C; Applicando huiusmodi Con-
uentuum vel Monasteriorum suppressio-
rum redditus & bona Ecclesijs parochia-
libus, vel seminario, alijsque pijs vībus,
vel operibus, Ordinariorum arbitrio, vel
ad eorum relationem, per ipsam Congre-
gationem.

Quamvis autem, edita dicta Constitu-
tione, videretur quod finis, ob quem ista
Congregatio erecta fuit, adimpletus es-
set, neq; eā resolui, vel cessare debere,
aliquorum opinio esset; Attamen con-
tinuavit, & continuat (quamvis tamen
rarō habeatur); ob contingentias circa
idem; Vel scilicet, quod supplicantibus,
præsertim populis & communitatibus,
atque aliquam supplicationem offerenti-
bus, sū ex alio iusto motu, ex pontifi-
cio oraculo, aliqui Conuentus suppressi
reintegrari solent, in illis præsertim exi-
guis oppidis, vel castris, in quibus ille
conuentus regularium esset vnicus, cum
expediat, quod ultra parochum, & cleri-
cos sæculares, aliqui adsint regulares, qui
ministrant quoque diuina, & sacramen-
ta, illud præsertim poenitentiae, ex ratio-
nibus quæ alijs occasione noue funda-
tionis conuentus in Regularium sede in-
sinuantur D; Siue è conuerso, quod ex-
pediat aliquem Conuentum, tunc non
suppressum supprimere, ob inconuenien-
tia, quæ praxis doceat, ab eius existentia
resultare, cum similibus contingentib; ;
quæ examinare expedit; Puta instanti-
bus locorum Ordinarijs, vel alijs ad quos
pertinet, [circa variationem applicatio-
nis bonorum], ac reddituum huiusmodi
Conuentum suppressorum, quia nempē
tempus doceat magis expedire, vt vni
potius, quam alteri operi applicatio con-
gruat.

Speciem Tribunalis contentiosi circa
6 illa prima tempora suppressionis, ista
Congregatio habuit (pro stylo tamē
extra judiciali & summario pluries insi-

nuato aliarum Congregationum), quod
scilicet Communates vellocorum Do-
mini, qui pro Conuentum vel Domorū
regularium fundatione, bona elargiti-
fuerunt, prætensionem excitarunt, ut tan-
quā ex cessante causa, cōcessio euangelice-
re debuisset, ac propterea bona donata
ad eos reuerti; Verū exauditi non fue-
runt præterquam in casibus, in quibus
expressum pactum resolutium assiste-
ret. E

E. tit.de donation.dic.12. & seqq.



De Congregatione propagandæ Fidei,
pluribusque alijs ecclesiasticis, vel
spiritualibus, Congregationibus, pu-
tā; Ceremonialis; Indulgentiarum;
Reliquiarum, & similiū; Et de
Congregatione Confistoriali, re-
missiū;

S V M M A R I V M.

- 1 **Q** uonodo antiquitus hac materia
propaganda vel conservandæ fidei
ageretur.
- 2 *De eodem.*
- 3 *De introductione, & propagatione fidei
in novo Orbe.*
- 4 *De erectione huius Congregationis pro-
pagandæ fidei.*
- 5 *De erectione collegij eiusdem propagan-
dæ fidei, eiusque instituto.*
- 6 *In quo consistat munus huius Congrega-
tionis.*
- 7 *An & quas controversias contentiosas
P. 2. Relat. straret,*

- tractet, & decidat inter missionarios, & alios.
- 8 De alijs causis prophanis, quas cognoscit.
- 9 In qua die, & quando teneatur.
- 10 Quando aliquando fiat coram Papa, & quare.
- 11 Retinet typum pro impressione librorum in omnibus linguis.
- 12 De alijs Congregationibus, putà indulgentiarum, & reliquiarum & similibus.
- 13 De Congregationibus, quæ cessare solent, cessante causa.
- 14 De Congregatione Hierosolymitanæ Religionis.
- 15 De Congregatione Confessoriali remissione.

DISC. XXIII.

Vemadmodum ab initio nascentis Ecclesiae, summus Pontifex Romanus, eiusque Curia, semper studuit, ac inuigilauit, super Catholicæ fidei conseruatione, illam præseruando, seu respectuè restituendo, aduersus hæreticam, vel schismatica n labem, vel paganica superstitionem; Non tamen, quindecim sacerdorum spatio, usque ad pontificatum Pauli III., formale Tribunal collegiatum, seu Cardinalitia Congregatio defuper ercta fuit; Sed ipse Pontifex, cum opera & adiutorio Episcoporum, aliorumque localium Inquisitorum, ac zelantium, & piorum operariorum, eas partes expleuit, iuxta seriem in vniuersalibus Inquisitionis, vel Sancti Officij Congregationis relatione recensitam. A Ita pariter, ab ipso initio, sub magis diris, & crudelibus persequotionibus, tyrannorum, & infidelium, idem Pontifex, eiusque Curia, dictæ fidei propagationi semper studuit, mediante pariter opera Episcoporum, & prædicatorum, aliorumque operantium in vinea Domini; Cumque præsertim in XIV. sæculo, nouæ, seu nostræ memorie ignotæ, per navigationem maris Oceani detectæ essent partes vel regions, quæ sub vocabulo Indianum, vel noui Orbis, siue sub quartæ partis orbis Americae, nomine nūcupatur; Idem Pontifex sollicitus fuit eò transmittere, ac rigere, ac transmittere, & distribuere per-

tere plures missionarios, ex diuersis Religionibus, vndè propterea, ad instar ipsius primitiæ Ecclesiæ post Christi Ascensionem, in hac noua Mundi parte, cunctot martyrum sanguine, Ecclesia planata, & irrigata est, iam incipiens producere Paradysi Rosas, aliosque flores, quamvis Ecclesiæ iudicio adhuc non detectos, sicuti prima Rosa iam detecta est.

Nostra verò ætate, sub Grægorio XV. cuiusdam pij, ac religiosi viri generosa dispositione, occasionem ad id præbente; Ad instar dictæ alterius Congregationis, quæ super iam exortæ fidei conseruatione, & expurgatione, antecedenti sæculo ercta fuerat, ista Congregatio, ex Cardinalium competenti numero vario, aliorumque Prelatorum, ac inferioris ordinis officialium mixtura, ercta fuit; Ex Secretario scilicet Prælato; Ex Assessore Sancti Officij Ex uno Prothonotario Apostolico; Et aliquibus alijs Prælatis, eq; Propaganda Fidei nomen attributum; Deindeque sub Urbano VIII. (Dei gratia) hoc pio, & commendabili opere nimium crescente, ad instar Collegiorum, quæ pro Græcis, ac Germanis, & Anglis, alijsque nationibus, quæ hæretica, vel schismatica labe infectæ sint, & quæ sub Grægorio XIII. alijsque Pontificibus ercta fuere, cum magno, & conspicuo ædificio, ad formam Insulæ, ad radices Pincij montis, erectum fuit Collegium, cui pariter idem genericum nomen, propagandæ fidei attributum est, ut ibi educari, sacrisque literis, ac sancta doctrina catholica, imbui valeant adolescentes illarum partium, qui ad catholicæ fidè conuersi fuerint, ad hoc ut in eisdem partibus idonei operarij & propagatores esse valeant; Acetiam, ut missionarij, qui ab eisdem partibus regredientes, Romanam Curiam adeunt, ut summum Pontificem, ipsamque Congregationem melius informare valeant, oportunaque suggerere media eiusdem propagationis, in præfato collegio habitationem, ac viatum, pro Congregationis arbitrio recipiant.

Istius itaque Congregationis munus est, propagationis fidei operarios, quibus Missionariorum nomen tribuitur, dirigere, ac transmittere, & distribuere per-

DISCVRSVS XXIII.

regiones, ut ex personarum vel Religio- num qualitate oportunum reputetur, eisdemque necessarios sumptus, ex ipsis operis peculio, à piorum oblationibus conflato, alijsque pijs eleemosynis, & subventionibus, suppeditare; Consulendo etiam Summo Pontifici seu proponendo, ut ex dictis Missionarijs huic operi addicatis, aliquos præficiat, Episcopos, vel Archiepiscopos, ac respectiuè prouinciarū, vel regionum Vicarios Apostolicos; Vnde propterea vtramq; & economiam spiritualem & temporalem potius quam forenses, seu iurisdictiones partes, ista Congregatio administrare videtur.

Adhuc tamen, ad instar præsertim Congregationis Regularium, ab aliquo tempore, aliqua forensia, vel contentiosa negotia peragere, ac decidere, cum eodem Congregationum summario, & extra iudiciale stylo, consuevit; Vel scilicet quia, pro consueta humana conditione, seu fragilitate, etiam inter ipsosmet Missionarios, & Operarios diuersarum Religionum, vel institutorum, æmulationes, & questiones oriri soleant, quod ex epistolis Pauli, & ex actibus Apostolorum, alijsque sacris literis, edocemur in ipsa quoque primitiua, & nascenti Ecclesia contigisse; Siue quod eadem contentiones, vel æmulationes oriantur inter Missionarios, & parochos, aliosque clericos nationales, qui pro fidei iam propagata cultura, & animarum cura, aliorumque diuinorum ministracione, deputati sint; Aut cum earumdem Religionum superioribus, circa iurisdictionem ac directionem illorum cuiuslibet Religionis respectiuè alumnorum, qui huic operi destinati, siue addicti sint, ideoque Congregationis potius subditi censendi veniunt.

Ac etiam (ad instar præfatæ Congregationis Sancti Officij) forensem prophana cognitionem habet, ciuilium, criminalem, & mixtarum causarum, eiusdem Congregationis, vel collegij ministrorum & operariorum, seu quæ respiciant bona temporalia eiusdem operis, vel collegij, ex quorum fructibus, missionum sumptus, ut supra erogantur.

Determinatam autem diem non habet ista Congregatio, ut habent aliae superius recensitæ, quæ pro currentium negotiorum discussione, ac determinatio-

ne ercta sunt, sed pro negotiorum urgentia, & qualitate, in die præsertim lunæ, quando Consistorium non impediatur, vel in altera sequenti Martis, singulis mensibus, & quandoque breuius, ea haberi solet, in eisdem collegij supra recensisitatem; Atque; Vel Secretario, qui est Prælatus, & in eisdem ædibus cum alijs inferioribus officialibus & ministris, tanquam fixus & continuus director habitationem habet; Vel ipsis Cardinalibus, iuxta distributionem inter eos fieri solitam, referentibus negotia, tam contentiosa vt supra, super quibus pluries ego de iure respondendi occasionem habui, quam etiam æconomica & prudentialia, pro operis profectu, ac bona administracione, oriuntur resolutiones, atque dantur oportuni ordines, & instructiones; In aliis verbis anni temporibus, ista Congregatio, coram ipso metu Papa haberi solet, tam ut ipse certioratus remaneat de rerum statu, quam, ut iuxta oportunitatem, cum eius oraculo, illas communicet facultates, atque impariatur gratias, ad quas, ipsis Congregationis potestas, non extendatur; Quod etiam extra huiusmodi Congregationes, ad relationem Secretarij, vel alicuius ex Cardinalibus eiusdem Congregationis, pro negotiorum urgentia & qualitate, sequi solet.

Istud itaq; est institutum huius Congregationis, quæ in eadem domo collegij typum diligenter suo sumptu tenet pro impressione librorum & scripturarum quæ idem institutum propagationis, vel conseruationis fidei concernant pro omnibus linguis pro omnium nationum vsu, & commoditate.

Quamplures aliae habentur in Curia Cardinalitia Congregationes, cum Prælatorum, aliorumque operariorum mixtura, ad præmissarum instar, putà; Super Indulgencij, & Reliquijs, quæ moderno tempore ercta est; Aut super ceremoniali; Vel super Hispaniarum laminationis; Alijsque similibus negotijs, Ecclesiæ catholicæ in vniuersum, siue pontificium regimen, concernentibus, super quibus facile non est certam statuere regulam siue relationem dare, cum in dies pro negotiorum qualitate, ac rerum contingentia, nouæ Congregationes erigi, siue iam ercta, expletis negotijs, earumque causa cessata, supprimi, vel terminari.

soleant, potissimum quia istae videntur extra propositum relationis Curiae forensis.

Quando enim urgebantin Germania, quædam graues scissuræ, super eis erecta fuit particularis Congregationis, quæ dicitur Colonia, et altera quæ dicebatur Palatinatus, quæ postmodum forte cessarunt, ob cessationem eius causæ, cum similibus.

Præsertim vero adest, quoad negotia particularia Congregatio competentis numeri Cardinalium pro negotijs Hierosolymitanæ Religionis, in uniuersum, quod scilicet concernant regimen, & conseruationem ipsius Religionis, non autem super causis priuatis in concursu Commendarum, & Dignitatum, vel super admissione ad habitum, cum de his agatur in Rota, & in Signatura Gratiæ. B.

Adest quoque Congregatio Consistorialis, cui particularis Sedes, vel Rubrica non tribuitur, dum occasione agendi de ipso Consistorio, de ista quoq; ibi actum est. C.

B. habetur infra disc. 30.

C. supra disc. 5.



De Congregatione Visitationis Apostolicae.

S V M M A R I V M .

1 Circa quæ versentur partes Congregationis.

2 De obligatione Episcopi visitandi diœcesis.

3 De erectione huius Congregationis, & ex-

quibus constituatur.

4 V. Gerens est iudex & executor decretorum buius Congregationis.

5 Quomodo per istam Congregationem fiat visitatio Ecclesiarum Vrbis, & districtus.

D I S C . XXIV.

Vamuis ista Congregatio ad instar præcedentium, ecclesiasticum, seu spirituale regimen quoque concernat; Non tamen circa munus pontificium, pro Ecclesia uniuersali versatur, sed explet illas partes, quæ Papæ, tanquam Episcopo particulari Vrbis, eiusque districtus, incumbant, eodem modo, quo de Cardinali Vicario superius dictum est. A

Cum etenim, ad sacrorum Canonum, strictius vero Sacri Concilij Tridentini præscriptum, Episcopi debeat singulis annis, vel aliquibus statutis temporibus, sibi cōmissam diœcesim personaliter vbi commodè fieri potest visitare, si minus per Vicarium, vel alios idoneos viros ad id deputatos B; Papæ vero, iam enarratae magnæ occupationes non permittant in hoc eius particulari Episcopatu, istas adimplere partes, quæ sub ordinariis facultatibus Vicarij non videntur comprehendere; Hinc, præsertim nostra ætate, sub Urbano VIII., pro hoc munere explicando, aliquorum prædecessorum vestigijs quoque inhærendo, erecta fuit Congregatio, ex aliquorum Cardinali, aliorumque Prælatorum & operariorum competenti numero constituta, cui propterea Visitationis nomen datum fuit, cum circa id, eius munus versetur, visitandi scilicet Vrbem, omnesque eius Ecclesiæ, & Monasteria, piaque loca, eo modo quo Episcopi, in singulis respectivè diœcesibus agunt; Fixum locum in eadē Congregatione habentibus, Vicario, eiusque Vicesgerente, qui est ordinarius ludex, vel executor decretorum, aliarumque determinationum eiusdem Congregationis, quæ more aliarum, de quibus supra, pariter in forma extraidiciali, & sum.

A. supra disc. 13.

B. in annot. ad S.C.T. disc. 5. lib. 14.